GASPARI SCIOPPII COMITIS À CLARAUALLE. IN VIRI...

Kaspar Schoppe

GASPARI SCIOPPII

Comitis à Clarau alle.

In Viri Clarissimi

GERARDI IOHANNIS

Vossij libro

DE VITIIS SERMONIS

Animaduersiones.

Ad Virum Clarissimum

MATTHÆVM DEFENDIVM

Literatorem Venetum.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

RAVENNÆ.

Typis Petri Pauli Rubei, Bibliop.
Superiorum Permissu. 1647.

3

MATTHÆO DEFENDIO SVO GASPAR SCIOPPIVS S. D.

Venit, Vir eruditissime quod futurum augurabaris, vt viso Gerardi Iohannis Vossij libro, quem nuper *de Vitijs Sermonis* edidit, cũ eum adhuc pluribus nominibus maximi fecissem, interque prima ætatis nostræ ornamenta numerassem, ei omnis porro diuinæ & humanæ literaturæ principatum mea sententia tribuere minimè dubitarem. Verbis exprimere satis nequeo, quàm me libri eius lectio oblectauerit, & secundæ partis quamprimum videndę desiderio accenderit. Etsi enim in eorũ censu, qui Latinas literas inde à prima ætate summo cum studio coluerunt, ipse quoque nomen meũ profiteor, quia tamen in legendis priscis scriptoribus vsu venire solet, quod ait Seneca, *vt in eodem prato bos herbam quærat, canis leporem, ciconia lacertã,*

eo factum est, vt non alia ferè confectans, quam quę mihi ad Eloquentiam, Prudentiam, & Sapientiam aliquando vsui futura viderentur, cætera velut præteriens adspicerem, nec ea studiosius obseruare pensi haberē. Nunc itaque legendo Vossij libro plurimorum in memoriam reuocatus, quæ in veterum lectione prætericram, doctiorem me factum gaudeo, tantique me viri discipulū profiteri non dedignor, adeoque ingens eius opus *de vocum origine, & proprietate* extremam manum quamprimū recipere, inq; meas manus venire munificè aueo, inuenturus fortasse satis ab illo asserta, quæ mihi adhuc nonnullum dubitationi locum relinquere videntur: idque tanto magis, quod ipsum quoque Vossium in iudicio suo de quarundam vocum Latinitate hæsitare videam. Verbi gratia scribit ille pag. 25.

1 *Desita Roma sermonis puritate*, & pag. 51. *Nondum collapsa Romana lingua puritate*. Quæ cum scriberet, quin *Puritas* satis Latina vox esset, dubium non habuit: quamuis ei voci multò ante controuersiam à me motam vidisset in Scaligero Hypobol. pag. 241. vbi verba mea sunt: *Latinitatis, & vt vul-*

go

go vocant Puritatis, *siue emendati sermonis laudem*. Post tamen alia omnia eum sentire comperio. Scribit enim pag. 799. *Puritas non est puri sermonis*, & pag. 165. *Puritatis, vt vulgus barbarum loquitur, siue, vt dicere malim, Puri sermonis amatoribus*, & pag. 562. *Puritas tam vsitatum est vocabulum, vt vix sciam, quis non loquatur hoc modo, & video etiam mihi aliquando hoc vocabulum excidisse, Nenio, & alijs decipientibus. Satius verò sit pro eo dicere Munditia, elegātia, proprietas.* At enim si *Puritas* Latinè non dicitur, Barbarismi crimen Tullius non effugiet, qui *Impuritatem* dixerit Philip. 2. *Cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes.* Sin autem *Impuritatem* Vossius Latinum esse assentitur propter Ciceronis auctoritatem, ipsius quoque iudicio *Puritas* minimè barbarum videri debet: id quod intelligi debet ex eo, quod de voce *Dolentia* totidem verbis censet pag. 413. *Dolētia pro Dolor apud Arnobium: etsi aliquid sit, quod nec Cicero Indolentiam refugerit, & cur deterius sit, quàm Variantia pro Varietate apud Lucretium: ficut & Retinentia pro Memoria vel Recordatione.* Non dissimiliter de voce *Infideliter* iudicat pag. 782. *Infideliter* (inquit) *pro mala fide; de quo non*

magnopere contendero (vt minus latinũ credatur) *quandoquidem Fideliter est ipsius Ciceronis, Inhospitaliter* etiam, *non temere* (ait) *dixero, vtenti tamen non valdè aduerser, cum Inhospitalem Caucasum dixerit Horatius, & Liuius Hospitaliter*; Quibus addi poterat, quod *Hospitalitatem* Cicero dixerit; quem, cum vox Firmiter auctorem habeat, Prisciano teste, nec *Infirmiter* quidem inter patum Latina à Vossio recenseri meruit. Quod ipsum de verbis *Destructio*, & *Destructor* statuendum videtur, cum Cicero *Instructionem*, & *Instructorem* dicat, sicut & *Obstructionem*. Non dissimiliter iudicat de nomine *Inuerecundia pro Impudentia*. *Quamuis* (inquit) *auctorem non habeat, eadem tamen Analogiâ dicitur, quâ à Verecundus verecundia*. Sed nec causæ satis videtur Vossius habere, cur *Dapsiliter* ab Aimoino velut nouè dictũ notaret pro obsoleto illo *Dapticè*, cum Lucillij versus extet.

In vino esse vbi qui inuitauit dapsilius sit.

Quæ ipsa est ratio in vocabulo *Proterè*. *Hoc enim* non putat Vossius *refugiturum Ciceronem, cum Procerius dixerit*. Nimirum satis Vossius eorum meminit, quæ de verborum cum idonea ratione ac iudicio nouandi licentia

Ho-

Horatius cantat in Arte v.46.& *seqq.*

In verbis etiam tenuis, cautusq; serendis
Dixeris egregiè, notum si callida verbũ
Reddiderit iunctura nouum, si forte necesse est
Indicijs monstrare recẽtibus abdita rerũ.
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturq; licẽtia sũpta pudẽter
Et noua fictaq; nup habebũt verba fidẽ, si
Græco fonte cadant, parcè detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus, adẽptũ
Virgilio Varioq; Ego, cur acquirere pauca
Si possũ, inuideor? cùm lingua Catonis, & Enni
Sermonẽ patriũ ditauerit, et noua rerum
Nomina protulerit? Licuit, sẽperq; licebit
Signatũ præsente nota producere nomen.

In quam sententiam Fabius disputãs lib.8.cap.3. Nõ (inquit) *accedo Celso, qui ab Oratore verba fingi vetat. Nam cum alia eorum, (vt dicit* Cicero) *sint Natiua, id est, quæ significata sunt primo sensu: alia Reperta, quæ ex his facta sunt, etsi iam nobis ponere alia, quam quę illi rudes homines primi fecerunt, fas non sit: at deriuare, flectere, coniungere, quod natis postea concessum est, quando desijt licere?* Tantis auctoribus patrum memoria Q. Marius Corradus, acerrimi vir iudicij, & dictionis cultissimę, *lib. 2. de copia Lati-*

 ni

*ni Sermonis pag.*54.55.& 57. de vocum Latinarũ nouitate quid censeret, magno cum doctiſſimi cuiuſque aſsenſu ſic expoſuit:

Quę (malum) ſuperſtitio ignauos inuaſit, qui metuant, vt Amatricem *cum Plauto, ſic* Expiatricem, Eſuritricem, *& huiuſmodi innumerabilia, ſi neceſſe ſit, dicere? quãdo lex nulla eſt qua id vetet, & nos auctoritate, præceptis, exemploq́; ſuo auctores omnes ad ſeruiendum neceſſitati, & commodis adhortantur. M. Tullius hoc interdixit ne fieret? quem videmus vbique plenum eſſe nouitatis? Horatius hoc vetuit, illo præſertim loco,*

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.

Nec putemus enim verba à principio ſimul cum cælo, ac ſideribus ipſe à Deo condita, & certum his numerum eſſe conſtitutum, quibus nouum aliud verbum addere, aut vetus commutare non liceat: quemadmodum nefas eſt cogitatu, Stellas in cælo nouas collocare, aut aliam ijs faciem induere, quam quæ illis à Deo ſemel attributa eſt ſempiterna. Hoc eo pertinet, vt ſtultos doceam, in voluntate hominum, aut potius neceſſitate eſſe poſitum, etiam ſi ſit opus quotidie, nouis de verbis conſtituere. Non verba omnia ſuos habent auctores? Non docti ad vnum omnes nouarunt infinita? Non vulgus, ruſtici, multitudoq́;

inſi-

insima principium dedit quamplurimis? Non Virgilius illud scribit:

Est etiam flos in prato, cui nomen
Amello Fecere Agricolæ?

Cur ergo non recipiantur in sermone, nec Latina esse credantur, vel nostris, aut alio rũ in scriptis videre nolẽmus ea, quæ Latinitas per doctissimos viros ipsa sibi, & nostris cõmodis parit? Vetus est Subigatrix, *quod nomen libidinosæ mulieri Plautus dedit: qui etiam ab Edendi verbo* Estricē *dixit.* Matrix *verò genus virile per naturam habere non debuit.* Auctor *muliebre genus* Auctricē *facit, testibus Seruio, & Prisciano. Cur non* Pollinctor Pollinctricem, Vnctor Vnctricem, Præuaricator Pręuaricatricem *faceret? quod si à multis nomen ductum non est, sciamus tamen, si commodum sit, fieri licere: immo etiam insanire eos, qui repugnant. Quando enim à* Promissu Promissor *nomen esse capit? Certè Horatianum video esse verbũ, & hoc tu non reprehendis. Quam ob rem? Nempe quia, etsi nesciatur quis excogitauerit primus, grauem tamen hactenus habet auctorem. Potest ergo alius minore doctrina, & existimatione id fecisse: & si Horatius id fecit, ego à te minus peto, quam petere debeo, vt ijs saltem nouare verba liceat, qui ad Horatij, & antiquorum scientiam proximè accedunt. Hanc verborum*

nouationem, quæ rectè, utiliter, pulchrè, necessarioq́; fiat, solis doctissimis, multumq́; ac diu in Latini sermonis auctoribus versatis, & quorum falli iudicium non possit, sentio concedi oportere. Quibus si noua facere necesse sit, ea ne tu non probes nec Latina esse disputes, quia in Grammaticorum non sint Commentarijs : siue Lexicis, aut vocabulorum Indicibus.

Meo ergo iudicio potest iam Vossius securo esse animo: & quamuis in veterũ auctorũ libris, qui sunt reliqui (cum maximam eorum partem interijsse, eòq; innumerarum vocum Latinarum iacturam factam esse cõstet) *Puritatis* vocabulũ non inuenerit: quia tamen *Impuritatem* in Cicerone legimus, quæ Plauto est *Impuritia*, non habet cur se ipsum, vnaq; secum alios homines doctissimos in vulgi barbari turbam conijciat: sicut neque quicquã habet, cur orationis *Puritatem*, *Elegantiam*, & *Proprietatem* eandem vim, ac significationem habere credi postulet.

Primum enim Sermonis *Proprietas* non aliud Latinè loquentibus significat, quam proprium eius officium, quod est animi sensa, seu cogitata explanare, quocunq; id verborũ genere fiat: nec enim hoc quicquã refert,

fert, sintne vocabula translata, seu per metaphorā ornata; an vero propriam, ac suam sibi significationē retineant: cuiusmodi verborū vsus nequaquā est sermonis proprius, adeoque *Proprietas* eius dici nequit. Deinde longè alia sunt in quibus sermonis *Munditia*, alia in quibus *Elegantia* spectatur. Mundus quippe, siue Purus, & emēdatus sermo est, qui caret sordibus & maculis: quarum aliæ præceptis puerilis doctrinæ, siue artis Grammaticæ, aliæ rectè loquentium consuetudini aduersantur. Sordes præceptis repugnātes sunt, *Barbarismus*, & *Solœcismus*: consuetudini autē *Archaismus*, *Neoterismus*, & *Idiotismus*. Elegantia autē, seu Delectus est virtus orationis inter plura eiusdē potestatis verba eligens ea, quæ hominem ingenuum ac nobilem plus decent, vt euitetur cùm *Plebitas*, seu *Vilitas*, siue triuialis, & semitaria plebis Romanæ consuetudo: tum κοινισμὸς aut adiaphoria, quod vitium est ea, quæ diuersi sunt generis in oratione miscētis: vt si quis nullo discrimine vetera & noua, oratoria, & Poetica, & à diuersarū ætatū auctoribus petita vsurpet, sitq; oratio velut discolor vestis, & multiformis, homine potius fatuo,

certè eius ętatis, quę decentius latinè sciat, quã viro nobili, grauiq; digna. De quib⁹ orationis Latinę virtutib⁹, ac vitijs, in libello meo de Exercitationib⁹ Rhetoricis Mediolani edito diffusè, lateq; satis à me dictũ nosti.

Sunt autem & alia quędam, quę in Vossij libro animaduerti, de quibus partim ille seorsũ à me sentit, partim ego sustinendi assensus causã habere videor. Quæ quidem secundum literarum seriē ex ordine tibi recēsebo.

2 *Abhinc* (inquit) *perperam vsurpant de futuro*. Itaq; aut non legit, aut contēsit, quod ego scripseram Grammaticæ Philosophicæ pag. 135. *Abhinc de futuro vsurpat Pacuuius:* seq; ad ludos abhinc exerceant. *Cicero pro Roscio Comœdo:* Repromittis tu abhinc triēnium Roscio? *Vbi subauditur Post*. Quod manifestum est de futuro dici, cũ preterita nemo possit promittere.

3 *Alta voce* Vossius *barbarè dici* pronunciat, pro clara. Viri scilicet doctissimi diligentiam aut memoriam effugerat illud Catulli Epigr. 43.

Conclamate iterum altiore voce.

Qualē Quinctilianus *altius* attolli dicit; quam & *summam* videtur vocare, cui opponit *Imã*, sicut *claræ voci obtusam*. Potest autem vox esse clara, quę

altius

altius non sit sublata, sed sit submissa, suppressa, aut deducta, qua qui vtuntur eos Næuius *submissos* vocat: *Odi submissos: proinde apertè dic quid sit.*

4 *Abs re non fuerit*, dicit pag. 29. quo tamen auctore nescio. Numquam enim veteres præpositione *Abs*, nisi sequente C, Q, G, aut T, vsos observaui, tamquam in *Abs Chorago*, *abscedere*, *abscondere*, *absquiuis*, *abs te*, *abs terra ad cœlum peruenire*, *abstulit*.

5 *Acceptam Aegyptijs ferimus Zythum* dicit pag. 19, quod contra iam quadraginta abhinc annos in Scaligero Hypobolimæo pag. 362. b. monueram, *Tullium*, *cæterosque scriptores* Acceptum referre alicui *perpetuo dicere solere*. Nam quod apud Valeriū Maximum aliter hodie legitur, id librariorū flagitiū semper sum arbitratus.

6 *Benefactor alicuius vulgo obtinet*: *Cum veteribus malo Benemerens, vel meritus. Nec malefactorem probo, malimque dici Maleficum, vel Male meritum*. Ista cum scriberet Vossius, non meminerat Plautini illius in Bacchidibus: *Malefactorem amitti satius est, quam relinqui beneficum*.

7 *Contrariò* pro *Contrariè* perperam dici Vossius arbitratur. Ciceronis tamen est, *Post viam, & metum, & reliquos*

motus

motus animi comites superierum, & his etiam contrario dissidentes. & *Si neminem l.fi.si etiam contrario multis opē tuli.* Sed & apud Cornelium Nepotē legitur.

8 *Comitia Imperij ineptissimè*, ac minimè Latinè dici iudicat, cum Imperij Ordines suffragij ferendi causā coeunt: cum tamen Populi Romani Comitia non alia de causa sic dicta fuerint. Festus certè disertim scribit, *Comitiū dictum à coeundo, quod in eum locū populus conueniebat ad suffragiū ferendū.*

9 *Conciliare aliqua*, pro redigere in concordiam, seu consensum, nulla veterum auctoritate dici puto, quomodo apud Vossium lego pag. 16. *Possis hoc nullo negotio conciliare.* Latinū est, *Aliquam alicui conciliare*, non *cum aliquo*: neque *Duos inter se conciliare*.

10 *Curialis est non Aulicus, sed qui est eiusdem Curiæ*, ait Vossius. Qui tamen haud negabit, quin *Curialis* rectè vocetur, quisquis ad Curiam pertinet. Est autem Ciceroni in Miloniana non aliud Curia, quam *Templum sanctitatis, & consilij publici, Caput Vrbis, sedes ab vniuerso populo concessa vni Ordini*: Quæ omnia cum Catholicorū omnium consensus Romanæ Curiæ hodie tribuat, nequaquam religio mihi est. *Curiales vernulas vocare*, qui vti-

vtilitatis suæ causâ Curiam illam sectantur, ibi abiectissimè seruientes.

11 *Decerptum*, nouè vsurpatum in-uenio in Vossij Præfatione. *A varijs gentibus miserè decerptum est Imperium*. Latini dicunt, *Alicunde, vel ex aliquo decerpere*. Ouidius:

— adducto pomum decerpere ramo.

sed Vossius haud dubiè *Discerptum* scripserat, aut scribere voluerat.

12 *Depretiare*: nouitiæ notæ verbũ est à Paulo Iurisconsulto vsurpatũ, cum tamen nulla sic nouandi esset necessitas. Non satis proinde Vossij elegãtia ac fastidio dignum censeo, quod in Præfatione eius lego: *Animus mihi est ita tractare literas, vt neminem depretiem*.

13 *Derisio pro illusione nullo auctore dicitur*, ait Vossius. Cicero tamen *Irrisionem* dixit. Cum ergo *Deridere* non minus quàm Irridere, & æquè *Derisor*, atque *Irrisor* Latinè dicantur, nimiæ superstitionis videtur *Derisionem* parum Latinè dictam arbitrari.

14 *Dimetitum* non probat Vossius apud Ciceronem in 2. de Nat. Deorum, vbi legitur: *Ita dimetita signa sunt*. *Sententia (ait) exigit* Dimetata: *quomodo est in optimis editionibus*. At enim eodem libro legimus: *Nos Solis, & Lu-*

na

na cursum demetiti, maturitates temporum, & varietates, mutationesq; cognouimus. & Vlpianus, vt ipse notat Vossius, dixit: *quæ quis ingenio suo metitus sit.* Cum ergo Cicero *Dimetatum* quoque dicat, quomodo & Horatius: *Porticus metata decempedis:* & Cato in Diris: *Pertica quę nostros metata est impia agellos:* minimè temeraria videtur suspicio, antiquis in vsu fuisse *Metiri*, & *Metari*, sicut *Impetrire*, & *Impetrare*, *Fodire*, *Fodere*, & *Fodare*, *Fulgurire*, & *Fulgurare*, *Procire*, & *Procare*, *Artitus*, & *Artatus*, *Dolitus*, & *Dolatus*. Vsitatiora tamē esse constat, *Mensus*, *Commensus*, *Dimensus*, *Emensus*, & *Permēsus*.

15 *Dissitus* Vossio idem est quod remotus pag. 167. *Ab ijs oris longè dissitę erant Daci.* & pag. 312. *In terras longinquas, dissitasque.* Minimè scilicet probare ei potui, quod in Paradoxis literarijs abhinc duodeuiginti annis scripseram: *Dissitus pro remotus Latinè non dicitur, etsi recentiorū doctissimi quique eo vti non dubitant. Significas enim dispersus, disseminatus, diditus, à* Dissero, *quod est sparsim sero, seu semino. Suetius apud Macrobium:* Hoc genus arboris in prælaltis finibus Graijs Disseruere, nouos fructus mortalibus dantes. *Ita Lucretius* vim animæ per

totũ corpus diffitam *dicit*. Longè diffitus, *pro remotus*, Apuleij Afino, quam Tullio, *aut Livio dignius est. Ciceronis est*, Ciuitas procul remota. Ex locis tam longinquis. Magno locorum interuallo à nobis diffunctus. *Virgilij*:

Aut penitus toto diuifos Orbe Britannos.

et: — Italiã, quam rere propinquam, Longa procul longis via diuidit in via terris.

&: — quem nunc meſtum patria Ardea longè diuidit. —

pro: qui iam longè hinc abeſt, in patria eſt, lõgè hinc diſiũctus, aut diuiſus. Propertij: Tam multa illa meo diuifa eft millia lecto, Quãtũ Hypanis Veneto diffidet Eridano,

Vbi Diſſidet, eſt ſeorſum ſedet, diſtat Eiuſdem Propertij:

Quid fi lõginquos miles retineret ad Indos?

Lucretij. Semota à noftris rebus, femotaque longè.

16 *Diui* (ait Voffius) *non alij rectè vocãtur, quã Dij*. Nec tamen opinor, intercedet, quin quos confecratio, feu canonizatio beatis cælitum ordinibus adfcripfit, rectè *Diuos* vocent Catholici: nifi tamen nõ fatis ei Tertullianus hanc fuam probat fententiam

Et

Et nos Dij erimus, sed ex gratia Dei, non ex nostra proprietate: quia ipse solus est qui Deos faciat. Atque hoc ei est consentaneum, quod 1. Iohan. 3. scriptum habemus: *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus: quoniã videbimus eum sicuti est*.

17 *Elucescit*, non satis Latinè dici Vossio videtur *pro elucet, patet, planum fit*. At enim *Dilucescere* Ciceronem, & Liuium auctores habet. Dicunt enim *Cum iam dilucesceret*: idest, dies fieret. *Iam dilucescebat cum Consul signũ dedit*.

18 *Etiam affirmantis* vsurpatur à Plinio li. 4. epist. 13. Huic ego, studes? inquam. Respondit, etiam. *Hoc degenerantis Latinitatis* Vossio videtur: Plauti tamen hoc est Mostell. *Numquid noui hodie ad forum processit tibi?* Si. *Etiam*. Tit. *Quid tandem?* Si. *Vidi efferri mortuũ*. Et istud Ciceronis pro Roscio comœdo: *Vtrum nomina in codicem accepti, & expensi digesta habes, an non? si non: quomodo tabulas conficis? si etiã: quamobrem hoc nomen triennio amplius in aduersarijs relinquebas?* Eiusdem est: *Vt sequẽs probabilitatẽ, aut etiã, aut non, respõdere possit*.

19 *Expertum medicum dicunt pro experientem, vel experientissimum* (ait Vossius) *Vir expertus pro eo reperias, qui aliquid*

quid comperit, vt: Expertus sum eius nequitiam, vanitatem, fidem bonam, malam. Nec pro illo Ciceronis: Id certis auctoribus cõperi, *dixerim*, expertus sum: *quod potius valet, Tentaui, exploraui, periculum feci.* Verum ratio virum doctissimum in eo fugit, vt non animaduerteret, verba *experiendi*, & *experientia*, aliàs suâ, natiuâ ac propriâ significatione, aliàs Tropicè vsurpari. Propriâ significatione *Experiri* est alicuius rei periculum facere, seu tentare itane aliquid sit, an aliter, Germanis *Versuchen*: Per metonymiam verò cõsequentis significat comperire, sentire, certum fieri, periculo, ac negotio cognoscere, Germanis *Erfaren, Innen VVerden.* quo modo Plautus vsurpat Mercat. *Nunc ego verum esse experior verbum vetus.* Et Bacchid. *Id opera expertus sum ita esse.* Terent. *Hec re ipsa experière*, pro cõperies, inuenies. sive vt idem ait, *experiendo scies.* Cicero: *Dicam non tam doctus, quam id quod maius est, expertus. Hoc quam crebro accidat, experti debemus scire. Presens, experta, atque perspecta hominis virtus.* Virgil. *Experto credite, quantus In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.* Horat.

Dulcis in expertis cultura potentis amici est, ...

Ex-

Expertus metuit.

20 *Habētiam* velut minus Latinè,*pro opibus, ac diuitijs ab Augustino dictū* norat Vossius, eius nempe immemor, quod apud Plaut. in Prol. Truc. leg eat,& apud Non. ex Quadrigar. *An imus habentia inflatur.*

21 *Hodieq;* pro Hodie quoq; pag. 11. & alijs locis Vossius dicit: cum tamen nonnisi ea ætate in vsu esse cœperit, qua iam Romæ Latinè loqui desitum fuisse Seneca testis est.

22 *Humilitas* (ait Vossius) *in Cantico Mariæ: vbi Deus* respexisse dicitur humilitatem ancillæ suæ, *nec virtus est, nec vitium, sed signatur humilis conditio.* Græcè enim est ταπείνωσις: non ταπεινοφροσύνη: *quomodo modestiam vocat.* At enim Deus non respicit humilitatem conditionis, sortis, aut status, cū ipse sit *qui pauperem facit, et ditat: humiliat, & sublevat,* siue exaltat (1. Reg. 27.) nullum proinde nec humiliati & pauperis, nec exaltati & diuitis apud Deum est meritum, nec iis nominib⁹ quēquam De⁹ respicit. Sed humilitas cordis, seu spiritus, ac sensus est illa, quæ tamquā sacrificium gratissimum Deum demeretur, eique humilem commendat. Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor cōtritum, & humi-*

miliatum Deus non despiciet, sed respiciet. Isa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos:* quomodo humilem se esse Dauid coram Deo prædicat Psal. 130. *Domine non est exaltatū cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Humiliter sentiebam, nec exaltaui animam meam.* Talis ergo est humilitas, sui ipsius abiectio & contemtus, animam habitaculum Deo dignum efficiens. Isa. 57. *Deus habitat cum contrito, & humili spiritu*, (siue humiliter de se sentiente) *vt viuificet spiritum humilium, & cor contritorum.* Rectè proinde Vossius fecerit, quod eius pietate dignum est, vt Deo potius quam sibi credat, persuasumque habeat, non sortis aut conditionis, sed cordis & spiritus humilitatem fuisse, quam in B. Virgine Deus respexit, vt in corpore eius filium suum habitare vellet. Cū enim Maria esset filia Dauid, regijq; sanguinis, quāuis sine penu & pecunia, multas feminas sortis humilitate pares, longè autem plurimas inferiores habuit: nec tamen vllius earum humilitatē Deus respexit.

23 *Infernum pro locis inferis* minimè Latine dici Vossius censet. Propertii tamen

tamen est.

Sũt apud Infernos tot millia formosarũ.
Pulcra sit in superis si licet vna locis.

Vnde apparet *Loci* nomen subaudiri, & per ellipsin supprimi, cum *Infernos* & *Inferos* legimus.

24 *Internus apud idoneos auctores nusquam inuenitur*, nec tamen eo nomine minus Latinum censeri debet, cum satis iusta eius vocis fingendæ causa esset, cùmq; *Externus* sit apud Ciceronem, & Liuium. Nec est dubium, quin prisci tam *Exter* & *Inter*, *Externus* & *Internus*, vnde *exterior*, & *interior*, dixerint; quam Catoni *super* & *infer vicinus* dictus fuit, pro *superus*, & *inferus*. Sicut autem à supero, & infero formata sunt *supernus*, & *infernus*, quæ tandem res obstare potuit, quin similiter *externus*, & *internus* effingerẽtur?

25 *Insanè benè, vix in Lipsio excusari* putat Vossius. Vapulet proinde Plautus, quem eius insaniæ Lipsius auctorem habuit in Milite.

26 *Iuxta Stoicos*, pro secundũ Stoicos, de Stoicorum sententia, dicere Vossius non dubitat pag. 3. cum tamen nullum eius locupletem auctorem se habere ipse quoq; agnoscat.

27 *Latus claudere* dixit Vossius pag. 388. *Collaterales sunt, quorum alter al-*

terius latus claudit. Id autem qua vel auctoritate, vel ratione defendi queat, nescio. Apud Horatium quidem lego: *Vis ne tegam spurco Damæ latus?* pro vt *ei ad latus hæream*, quo modo Catullus loquitur. Minimè verò eadem res est, claudere latus, & tegere. Si Iuuenalis versu illo suâ Vossius sententiam rueri velit, *Diuitis hic serui claudit latus ingenuorum Filius* -- non iniuria ei regeretur, *longè aliter Catuli olim, aliter sues*. id est, apud Aeneæ ætatis scriptores haud pauca leguntur, quæ ipse Vossius parum Latina rectè censet. Deinde nihil intercedere videtur, quin agmen comitum latus alicuius cingentium, suorumque laterum & corporum oppositu tuentium, rectè *Latera* eius dicantur: quorum qui agmen cogunt, siue extremi sunt, eos dici *Latera claudere* à linguæ Latinæ ratione non abhorret. Sed vt vnus alicui latus claudat nulla certa ratione dicitur.

28 *Mutuo sumere est mutuari*, Vossius pag. 155. nullam ille scilicet eorum rationem habendam ratus, quę à me accepta nobilissimus sanctæ memoriæ adolescens Mariangelus à Fano Benedicti in Auctario Grammaticæ meæ pag. 87. monuerat: *Mutuo, valet à mu-*

à mutuo negotio, re mutua, in qua per vices negotium aliquod geritur: vt Amant se mutuo, *seu mutuè (quo modo apud Ciceronem plus semel in optimis codicibus scriptum visitur) hoc est Catullo interpretante,* Mutuis animis amant, amātur. *Ita qui Pila datatim ludunt, mutuo pilam dant, mutuo accipiunt, id est, in vicem seu per vices, alius alia vice, vt accipere, & dare sit res mutua, quæ inter Datores, & Factores, mutuo, seu vicibus geritur. Ex quo planū fit, quanta eorum sit imperitia, qui* Pecuniā mutuo date, & sumere *dicunt, pro Mutuam.* Nec tamen vsque adeo ego mea, meq; ipsum amo, vt non paratus sim mistum facere errorem, si eius me vel auctoritate, vel ratione idonea Vossius reuicerit.

29 *Non verò* pro non autem vsurpat Vossius pag. 175. *Allodium quod ab antiquis temporibus possessum sit quasi proprium: non verò obtinetur ex regio beneficio.* Id ego me apud veteres vnquam legisse haud commemini.

30 *Nuspiam* pro nusquam mitror quo auctore dicat Vossius pag. 64. *Nuspiā clathrus legitur.* & pag 79. *Nuspiā aquè peccatum.* & pag. 102. *Hoc nuspiam extat.* Vereor autem, ne ipsum *Nuspiam* extet nusquam.

31 *Obiter* vsurpat Vossius pag. 17.

Ex Hispania Pœnos petituri obiter visemus Sardos. pro quo Cicero dixisset: *Prætereuntes,* aut Græce ἐν παρόδῳ, ἐν παρέργῳ, ὁδῷ πάρεργον: Seneca, & Quinctilianus *In transitu* Plinius: *In transcursu*, Tiberius Imp. *Per viã.* Cuius nomine quamuis Tiberium Augustus reprehenderit, rectiusque *Obiter* pro eo dictũrum censuerit: nõ tamen nisi plebeiam vocem diligenter Latinè loquentibus cauendam fuisse, Scauro vetustissimo Grãmatico, hominique literarissimo Hadriano Imperatori credere Vossiũ par erat, quippe qui apud Charisium lib. 2. legisset.

Diuus Hadrianus sermonum primo quærit, an Obiter *Latinum sit. Quamquam (inquit) apud Laberiũ* (Mimographũ, sanẽ plebeium scriptorem) *hæc vox esse dicatur: at eam Scaurus Latinam esse negat. Quamquam Diuus Augustus reprehendens Tiberium Claudiũ ita loquitur: scribis enim per viam,* ἀντὶ τοῦ obiter. *Sed D. Hadrianus: Tametsi (inquit) Augustus non pereruditus homo fuerit, vt id aduerbium ex vsu potius* (plebis) *quam ratione protulerit.*

Cum ergo Petronius *Obiter cantare, & speculari,* dixit, minime cordi habuit, quod ipse alios monuit, vt eli-

geret *voces à plebe summotas.* Verumtamen si Latinum esse maximè *Obiter*, qui tamen ex Hispania in Africā naue traijcitur, nequaquam obiter, seu per viam potest Sardiniam visere, cum longo satis interuallo eam Insulam à tergo relinquat.

32 *Offatim conficere, & offatim concipilare aliquem* apud Plautum legitur Trucul. Act.2. sc.7. Quid igitur est, *cur eius vocis idoneum Auctorem Vossius desideret?*

33 *Pœnitendum elogium* (ait Vossius) *& alia huiuscemodi reperio apud viros egregios. Multum interea metuo, ne vox ea Latinis fuerit auribus ignota.* Sed parce metu Vossi. Liuii est lib.1. *Sub haud pœnitendo magistro se iura didicisse,* & lib.42. *Receptum habere ad pœnitendū.*

34 *Pœnitere pro Pœnitudine duci* Vossio Latinum vix videtur. Est tamen Iustini lib.11. *Athenienses primi pœnitere cœperunt.*

35 *Particulatim* est per particulas apud Lucretium.

Lumina qui linquunt moribundi particulatim. Nouitatē habet quod Vossius scribit præfatione ad Lectorem: *Primum vniuersè aliqua præmittam de longè vetustissimis Europæ linguis, tū particulatim dicam de linguæ Latinæ natali-*

bus

bus. Quomodo & pag. 40. ea voce vtitur. Ciceronis est: *Aliâ epistolâ communiter commendani tibi legatos Arpinatiũ: hac separatim Fufidium diligenter commendo. Ciuitas non sigillatim, sed prouinciis totis data*. Terentij: *Omnibus gratiã habeo, & seorsum tibi præterea Demea*. Liuij: *Vt vna omnium fortuna esset, nec alteri propriè sibi pacißerentur quicquã*. Asconij in Diuinat. *Cum de illo specialiter, nominatimque dicat*.

36 *Passiuus est error, Dionysius pro Libero, seu Baccho, cui Dionysus nomen est*. Ita scribit, & censet Vossius pag. 39. vbi *Passiuum* pro vulgari, ipso quoque agnoscente, minimè Latinum est, nisi à ferreis scriptoribus vsurpatum. Qui autem Bacchum vocant *Dionysium*, fortasse defenderint, non magis in eo se accusandos, quam qui *Mauortius* pro *Mauors* dicere non dubitaot.

37 *Penum*, *peni* non probat Vossius: quãuis eo Plautus vtatur Capt. Act. 4. sc. 4. *Dicam vt sibi penum aliud ornet*. Quomodo & Afraoius *Penum berile* dixit.

38 *Pluries pro sæpius* interminus Latina Vossius recenset, Trebellium Pollionem eius auctorem laudans. Scilicet Cæsaris locus eius diligentiam effugerat in primo belli ciuilis. *Plu-*

ries in locis campestribus subsistebant.

39 *Pransus sum*, pro prandi, *Cenatus sum*, pro Cenaui negat Vossius Latinè dici:id quod mihi permirum accidit, non modo quoniā disertè Liuius dixit, *Cum pransi essent*, pro cū prandissent lib. 8. Belli Punici; sed etiā quia eodē modo Plautus in Rudēte dixit, *Iuratus est mihi dare talentum*, pro iurauit: & Cicero. *Iudici demonstrandum est, quid iuratus sit*, pro iurauerit. Similiter *Cenatus sum* non aliud significat quam *Cenaui*: subauditur enim *Homo*. Quid autem aliud est *Homo cœnatus*, quam is qui cœnauit?

40 *Purum pro mero non rectè dici* censet Vossius, tametsi non ignoret *Purum putum sycophantam* à Plauto dici eum, qui merus esset sycophanta.

41 *Quadragesies*, sicut *Vigesies*, & *Trigesies*, barbara cōtendit esse Vossius, cum dicendum sit *Vicies, quadragies*. Apud Plautum tamen Menæch. act. 5. sc. 9. legitur: *Vix credo tota auctione capiet quinquagesies.*

42 *Regium Prophetam* vocari Dauidē Vossius vix patitur, eo quod Nathan fuerit regius, seu regis Propheta. Nec tamen ipsum etiam Dauidem negabit Dei tamquam Regis sui Prophetam fuisse, cum ipse sic Deum compellet

pellet Psal. 5. *intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.*

43 *Retro* nouè vsurpat Vossius pag. 50. *A multis retro sæculis*. Quomodo aureæ, & argenteæ ætatis scriptores locutos fuisse non inuenio. Si quis tamen anteactas ætates dicat, *quæ retro sunt sæcula*, illo se Horatiano tueri poterit. — *non tamen irritum quodcumque retro est efficiet, neque Diffinget, infectumque reddet, quod fugiens semel hora vexit.*

44 *Sagittare* pro *Iaculari, sagittas torquere, sagitta petere* Vossius *minus bonæ notæ* putat. Eo tamen Iustinus vtitur lib. 41. *Equitare, & sagittare magna industriâ docet.*

45 *Sine illo esset*, pro absque illo esset, in præfatione dicit Vossius: *Praeclara eorum reperta, sine quibus esset, defraudaremur magna doctrinarum parte*. Sic autem nemo vnquam locutus inuenitur. Dicit quidem Plautus: *Absque te esset, hodie nunquam ad Solem occasum viuerem*, & Teren. *Absque illo fuisset, ego rectè mihi vidissem quam fortunatus sim ceteris rebus, absque vna, hac re foret.* Vbi Donatus dubitat de *Absque* sitne *Præpositio, an Aduerbium, pro extra*. Exceptionem quidem, vel exclusionem eo significari certum est, sicut voce

extra apud Plautum: *Extra te mortalis nemo me contigit:* pro quo eâdem sententiâ dici poterat: *absque te nemo me contigit. Absque te esset, nemo foret, qui me contigisset.* Itaque falluntur, qui Prisciano credunt, *Absque* idem significare quod *sine.* Si enim, *absque te fuisset, iam non viuerem,* idem significet, ac si res hæc fuisset sine te, iam non viuerem: cum *Tecum,* & *sine te* sint contraria, posset eadem sententia dici, *Si tecum non fuisset, iam nō viuerem.* Quod quam insulse dicatur, nemini cui pectus sapiat, obscurum esse potest.

46 *Sinum malè vulgo pro Gremio dici* censet Vossius, cum sinus sit, quidquid brachiorum complexu continetur. Petronii tamen est, *Manum demisit in sinum, & pueri vasculum pertractauit.* Vbi sinus est locus sub abdomine inter summa femina, quem non nemo *Gazophylacium* voce hybrida vocandum putat, vt ramen G pro C. sicut in *Gaius* pro *Caius,* positum putetur. Quod præter Hetruscos, aut auspicia eorum doctos, non æquè alii intellexerint. Hetrusca enim auspicum disciplina vasculis illis *Aniculæ* nomen fecit.

47 *Spontaneus quis nunc non dicit?* (ait Vossius) *Sed veteres voluere voluntarie.*

Sene-

Senecæ tamen est epist. 21. *Agilitas spontaneus motus est.*

48 *Superstitio est quæ dicitur scrupulositas conscientiæ in rebus licitis, absurda divinæ potentia formido.* Ita Vossius, idqu è rectè, dum tamen nec scrupulositatē damnet, qua Columella vtitur, & idē voce *Religionis* significari concedat, vel ob illud Terentii Andria: *Vnus mihi restat scrupulus, qui malè me habet.* PAM. *Dignus es cum religione tua odio.* Vbi manifestè Religione scrupulositas significatur, qua nō vacat Vossius dum *Triginta octo* pro *Duodequadraginta*, & *octodecim* pro *Duodeuiginti* dicere religioni habet. Vt enim ait Apostolus: *Vbi non est lex, ibi nec prævaricatio: & Peccatum non imputatur, cum lex non est, Rom. 4. & 5.*

49 *Vanè, sæpius legi,*(ait Vossius) sed cum Plauto dixero, *vera vanitudine*. Plauti scilicet versus est Captiu. Act. 3. sc. 4. *Pol ego, vt rem video, tu inuentus vera vanitudine qui conuincas* vbi *Vera* ponitur pro veritatem, ea quæ vera sunt Sententia est, qui veritatē vanitatis cōuincas per ellipsina enim præpositio *De* subauditur. Plaut. Trucul. Conuicti de falsi pugnis. Sed Vossius *verè vanitudine* pro vanè dictum credidit.

50 *Vel*

50 *Vel, pro siue* Latinum non est (aic Vossius) *vt cum dicunt, Diana vel Phoebe nihil aliud est quam Luna.* Nec tamen ipse Vossius dubitat ita loqui. Sunt enim verba eius. *Expertum dicunt pro experientem, vel experientissimū.* Sed cum ipsum, tum alios satis defendet Minerua nostra Sanctiana: ex qua apparebit, *Vel* semper disiungētem esse particulam, cum qua simul alterum *Vel* subaudiatur: quod ipsum in *siue*, & *Neque* vsus venit. Terent. *Hanc mihi fac tradas vel vi, vel clā, vel precario.* Pro quo dici potetat: *Hanc mihi fac vel vi tradas,* & sic alia duo *vel* subaudirentur. Propertius:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;

Vel Priamus.

Si hę duę postremę voces supprimerētur vnum *vel* videbitur significare *Etiam*, sicut Donatus exponit. Quod tamē Plautus vna cum *vel* expressit. Pseud. *Act.* 1. *sc.* 1. *Si potes, pietatis causā vel etiam matrem quoque tangas.* De *Siue*, exempla sunt Catulli: *Laua siue dextera vocaret aura*, Horatij: *Quo non arbiter Hadria maior tollere, seu ponere vult freta*, &, *Stenelus sciens pugnæ, siue opus est imperitare equis.* De *Neque* monitum est Asconij in Orat. pro Scau-

10: *Neque est coniunctio disiunctiua, & semper postulat vt rursus inferatur, vt: Neque hoc, neque illud.* Addit mox: *Neque ignoro aliquando hoc verbum ficut Vel, semel poni. Cicero pro Scauro: Ac neque Aquilius illius Craßi factum potuit imitari.* Vbi subauditur; *Neque quisquam* alius.

51 *Vnus pro quidam*, sicut Matth. 8. 19. *Accedens vnus scriba ait: Magister, sequar te quocumque* ieris. Hoc Vossio minimè Latinum videtur, quod etiam maximo viro Erasmo Roterodamo rerentum miratur. Mihi autem dubium non est, quin religioni Erasmus habuerit damnare, quod sibi in locupletum auctorum lectione notauerat. Est quippe hoc Ciceronis lib. 9. ad Attic. ep. 12. *Hec res me torquet, quod non Pompeium tanquam vnus manipularis secutus sim.* Hoc autẽ Catulli: *Suffenus videtur vnus caprimulgus, aut fossor.* Et istud Plauti Mercat. *Is peregrè vnius redimit ancillã hospitis*.

53 Et ista quidem sunt, quæ legendo Vossij libro animaduertenda duxi. In quibus sicubi ratio eum fugit, ei tamen id fraudi esse nequaquam debet, nec de præstantissimi viri existimatione ac gloria quicquam delibare, cum innumera sint, quæ illo

do-

doctore discere omnes possumus ? Meministi haud dubiè, cuiusmodi sint, quæ in Paradoxis meis literarijs, inque Auctario Grammaticæ in ipso Cicerone mihi animaduertere visum fuit: quod nimirum decernere nesciuerit, rectè ne *Pompeius tertium consul*, an *tertio* diceretur: quod solœcismi ab Attico postulatus minimè bonum innocentiæ suæ patronũ egerit: quod *Oppida* non putarit esse loca: quod à Grãmaticorum regulis imponi sibi passus fuerit, vt vitiosè dici putaret, quod nec ratione, nec auctoritate deficeretur, quodque cum publicæ, tum propriæ ipsius cõsuetudini esse consentaneum: quod in Attij poetæ verbis syntaxeos rationem prorsus nesciuerit, nec verba eius rectè intellexerit: quod denique ridiculo errore persuasũ habuerit, *Capsis* esse vocabulum ex tribus compositum pro *Cape si vis*. Nec tamen propter allucinationes istas Tullius Latinæ linguæ parens esse definit. Cuius sicut me perpetuum admiratorem & prædicatorem esse nosti, similiter tibi persuasum esse velim, me quamuis à Vossio de nonnullis dissentiam, nihilo eo causa minus ingenium eius tanta linguatũ
com-

complurium notitiâ, rerumque diuinarum & humanarum cognitione excultum, simulque limatissimum, eius iudicium admirari deque clarissimo hoc lumine patriæ meæ plurimum gratulari: id quod hoc quoque epigrammate testatum facere volui.

Ingens huic nostro decus est Salmasius æuo,
Nec minus ætatē hanc ornat sapientia Vosī,
His fasces quicunque sapit submiserit vltro.
Quod facio ipse lubens, facliq; hæc lumina adoro,
Contentus didicisse,magis quę scire necesse est,
Quęque meo possunt lectori afferre salutem,
Quæ nesciuisse & Reges,& perdidit vrbes.

Vale vir optime, & eruditissime, & amicissimum nostrum Angelicum Aprosium, illum librorum helluonem, verbis meis plurimum salutere iube. Patauio Postrid. Kal. Octobr, Anni M DC XLVI.

FINIS.

9925962

Z
1079.18